

omnino conferenda venirent, atque adeo, veluti cum Kosztaniczensi, Jeszenovicensi, Zriniano et Gliniano Confinijs factum jam habetur, cum Dubiczensi quoque Confinio per Honorabile Capitulum Cathedralis Ecclesiae Zagrabienensis adusque tento, pari modo agendum foret; Sumptis nihilominus in benignissimam Reflexionem multifarijs per praelibatum Capitulum in Defensione attacti per Sexaginta Annos administrati Dubiczensis Confinij comparatis Meritis, sed et novissime contestata per Idem cum Praesule suo erga Majestatem nostram insigni Devotione, dum videlicet occasione ea, qua praemissum Regulationis Militiae Banalis Regni Confiniariae Negotium assumptum fuit, generaliter subditos suos, qui numerosi sane dicuntur, Dicis Publicisque Oneribus, a quibus continuis retro saeculis Privilegialiter (uti dicunt) immunes fuerunt, pro summo Servitio nostro, Salutae Publica et Patriae Commodis, substernendos, ultro sponte et alacri Animo obtulit: Factum hocce laudabile, grato omnino suscipientes Animo, inque Contestationem peculiaris, quam eatenus habemus Satisfactionis, antelatum Confinium Dubicza, per praelibatum Zagrabienense Capitulum ulterius etiam Titulo administrationis possidendum clementer confirmamus, ita quidem: ut Commendans ibidem semper sit Canonicus Zagrabienensis, per ipsum Capitulum More hactenus usitato Bano praesentandus, et per ipsum demum Banum Denominandus; Idem Commendans Capitularis pro tempore illo, quo Praefecturam Militarem Dubiczae gerit, Characterem Vice-Colonelli, atque aequali cum aliis Vice-Colonellis et Commendantibus Praerogativa gaudeat, de qua Causa ipse quidem Commendans Capitularis, quemadmodum omnes reliqui Banalis Regni Confinij Militares a Bano, vel in Ejus e Regno Absentia, Banali Locumtenente, directe dependebit, Officiales vero Militares et ipsum Corpus Militiae ibidem Praesidiariae, pro tempore, quo Dubiczae persistent, et in Rebus Servitium Praesidiarium tangentibus, directam et immediatam ab eodem Commendante Capitulari dependentiam habebunt, salva de reliquo ipsius Supremae Praefecturae Militaris illius Militiae Banalis Confiniariae in hos etiam Praesidiarios Jurisdictione; Ipsi vero Militares ad Confinium quidem Dubiczense spectantes, non tamen ibidem Dubiczae Praesidiarij, iidemque seu in Dubicza habitantes, seu vero in circumvicinis Locis degentes, Officialibus Militaribus Phalangis illius, ad quam applicati habentur, suberunt. Idem porro Commendans Dubiczensis pro Casu ingruentis Belli, nisi illud contra Turcas susceperetur, Loco movere haud obligatur. De reliquo praenotatus Capitularis Commendans Confinium Dubiczense eo modo, quemadmodum ipsi fideles praelibatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines residua Confinia quoad Oeconomica administret, ipsi autem Confiniarij Dubiczenses, prouti aequalibus cum reliquorum Confiniorum Militaribus Emolumentis fruuntur, Ita e converso etiam aequalia cum iisdem Onera ferre debebunt. Memoratus porro Capitularis Confinij Dubiczensis Commendans, quotannis quorumvis Proventuum ex Confinio Dubiczensi percipientium, fidelem et exactam connotationem, ad puritatem Conscientiae suae, per modum Ratiocinij conficiendo, eandem ipsi Bano exhibeat; Sed et Omnes omnino Confinij Dubiczensis Proventus ad manus Bani, vel in hujus e Regno Absentia, ipsius Locumtenentis Banalis, consignet ac effective deponat, in commune Regni Bonum et utile applicandos. Eidem vero Commendanti Dubiczensi in Qualitate Vice-Colonelli obveniens annum Stipendium ex Cassa Regni persolvatur, aut ex iisdem Proventibus Dubiczensibus, prout demum fidelibus dictorum Regnorum nostrorum Statibus et Ordinibus videbitur, defalcetur; Quo pacto quemadmodum